

(*i Pauliani.*) Post Nouatum, Sabellium, & Origenem extitit Paulus, qui ab vrbe patria Samosata *Σαμοσατῆς* dictus est, id est, Samosatensis, quanquā alii malunt dicere Samosatenus, & ita vulgò appellatur. Fuit autem Samosata metropolis Commagenes regionis, sita prope Euphratem amnem, qua parte & latere Syriam & Mesopotamiam spectat, vt tradunt Epiphanius, & Plinius libro 5. cap. 24. in qua vrbe est stagnum cuius limus flagrans olidis rebus adhæret, & eas adurit, vt idem Plinius ait libro 2. cap. 104. cui tamen nunquam fuit tam noxia labe, quàm Paulus iste ciuis & alumnus ipsius. Nam fuit teterrima religionis Christianæ pestis. Ab hoc autem Paulo Samosateno dicti sunt qui errorem ipsius amplectuntur, Pauliani, Paulistæ, Paulianistæ, itémq; Samosatensiani & Samosataei, ab Epiphanio *Σαμοσατίται*: postea verò Photiniani, Luciani, & Marcelliani, tot nimirum fuerunt huius erroris & scholæ successores, & propugnatores. A fœditate verò & impietate dogmatis ab Epiphanio cognominantur *θεόκτονοι*, *κυρίκτονοι*, & *ἀπαρνησῖ-θεοι*, quòd præcipuum salutis nostræ caput, & fundamentum, quod est de diuina Christi natura, conuellere tentarunt. Vnde postea Mahumetismi certissima semina profluxerūt, & in animis hominum inhæserunt. Fuit autem hæc hæresis Artemonis vel Artemæ infelix propago, quanquam & ante hunc etiam quosdam alios idem quod Paulum Samosatenum sensisse, Christum nimirum ante incarnationem non extitisse, nec Deum esse, scribit Eusebius libro 3. Histor. cap. 27. quem errorem iam per sexaginta annos per Artemonis mortem extinctum, ab inferis reuocauit Samosatenus, propagauit

gauit